



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopo ne laicum ponat sibi vicarium. lxxxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

magistri , & auferam de spiritu tuo , tradamque eis ut sustentent tecum onus populi , & non tu solus graueris . Quid in Mose , nisi summum sacerdotium ? Quid in LX X. viris , nisi presbyteros accipimus ? Quod autem dominus afferat de spiritu Mosi , traditque eis , parenter ostendit , quod hi qui ab episcopo in conspectu Dei vocati sunt , ut secum onus populi sustentent , eadem velle , & in partito sibi onere totis viribus cooperari . Hoc enim significat , quod non alium , sed eiusdem Mosi spiritum accipiunt .

De episcopo ne laicum ponat sibi vicarium.

Cap. LXXXIX.

Ex cōcil. Braggar. cap. 9. **N**oua actione didicimus , quosdam ex nostro collegio contra mores ecclesiasticos , laicos habere in rebus diuinis constitutos economos . Proinde pariter tractantes eligimus , ut unusquisque nostrum secundum Chalcedonensium patrum decreta , ex proprio clero econominum sibi constituat . Indecorum est laicum vicarium esse episcopi , & seculares in Ecclesia iudicare . In uno eodemque officio , non debet dispar esse professio . Quod etiam in lege diuina prohibetur , dicente Mose : Non arabis in bove simul & asino , quod est , homines diuersae professionis in officio uno non sociabis . Vnde oportet nos , & diuinis libris & sanctorum patrum obedire præceptis , constituentes , ut hi qui in administrationibus Ecclesiae pontificibus sociantur , discrepare non debeant , nec professione , nec habitu : nec cohærere & coniungi possunt , quibus & studia & vota diuersa sunt . Si quis autem episcopus post hæc ecclesiastica rem ad laicalem procurationem administrandam elegerit , aut sine testimonio economi gubernanda crediderit : verè ut contemptor canonum & fraudator ecclesiasticarum rerum , non solum Christo de rebus pauperum iudicabitur reus , sed etiam & concilio manebit obnoxius .

Ut in circuitione episcopi omnes , qui sunt in parochiæ singularum matricum , exceptis infirmis , ad synodus eius venire debeant . Cap. XC.

Ex cōcil. Rotoma. 13. ca. II. **C**um episcopus suam diœcesim circuit , archidiaconus vel archipresbyter cum præire debet uno aut duobus diebus per parochias quas visitaturus est . Et plebe con-